



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 654/14

KAUNENSIS

Instante Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Sigita TAMKEVIČIUS, Archiepiscopo Kaunensi, litteris die 4 mensis Decembris anno 2014 datis, preces ac vota cleri et christifidelium expromente, Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum peculiarium a Summo Pontifice FRANCISCO tributarum, ecclesiam paroecialem Domino Nostro Iesu Christo Resurrecto in eadem civitate Caunis dicatam, ubi populus sanctus Christum aeternitatis mundo aditum devicta morte reserantem celebrat, titulo et dignitate BASILICAE MINORIS omnibus cum iuribus atque liturgicis concessionibus rite competentibus perlibenter exornat, servatis vero servandis, iuxta Decretum « *De titulo Basilicae Minoris* » die 9 mensis Novembris anno 1989 evulgatum.

- Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 20 mensis Ianuarii anno 2015.

Robertus Card. Sarah

(Robertus Card. SARAH)

Praefectus

+ *Arturus Roche*

(✠ Arturus ROCHE)

Archiepiscopus a Secretis